



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

***NUNTIUS RADIOPHONICUS
A SUMMO PONTIFICE MISSUS,
CUM NEO-EBORACI OPERA EXPOSITIONIS
EX OMNIBUS NATIONIBUS INCHOARENTUR,
APOSTOLICAE SEDIS AEDIFICIO DESTINATA***

Die XXXI Octobris mensis, a. 1962

Animo praesentes sollemni ritui, quo in civitate Neo-Eboracensi Expositionis ex omnibus Nationibus opera, Apostolicae Sedis aedificio destinata, inchoantur, perplacet Nobis faustissimum huiusmodi eventum gratulatione Nostra prosequi eique prosperum exitum ominari. Quod quidem eventum, dum palam testabitur quid hominum ingenium et labor valeant ad civilis cultus progressum, multum sane conferet ut populi inter se arctioribus vinculis devinciantur et amico foedere ad commune bonum conspirent. Quam ad rem fore omnino confidimus, ut admiranda technicarum artium incrementa ad hominum spiritualem profectum efficaciter conducant, in quo solummodo segura pax et veri nominis prosperitas innituntur. Hoc sibi proposuit Apostolica Sedes, quae Expositioni isti libentissime interesse voluit; atque ut vota Nostra feliciter expleantur, supplicibus precibus divinorum auxiliorum copiam ab Omnipotenti Deo imploramus.